ab natura primum præter reliqua animalia ut non proni sed erecti ambularent, mundiq;, & astrorũ magnificentiã aspicerent, item manibus & articulis, quã uellent rem faciliter tractarent, cœperunt in eo cœtu alii de fronde facere tecta, alii speluncas fodere sub montibus, nõnulli hirundinũ nidos & ædificationes earũ imitantes, de luto et uirgultis facere loca, quæ subirent. Tũc obseruantes aliena tecta, & adiicientes suis cogitationibus res nouas, efficiebant in dies meliora genera casarũ. Cũ essent aũt homines imitabili dociliq; natura, quotidie inuentionibus gloriãtes, aliis alii ostendebant ædificiorũ effectus, & ita exercentes ingenia certationibus, in dies melioribus iudiciis efficiebãtur. Primũq; furcis erectis, & uirgultis interpositis luto, parietes texerũt. Alii luteas glebas arefacientes, struebant parietes. materia eos iugumẽtantes, uitandoq; hymbres & æstus tegebant harũdinibus & fronde, postea quoniã per hybernas tempestates tecta nõ poterant hymbres sustinere, fastigia facientes, luto inducto, proclinatis tectis, stillicidia deducebant. Hæc aũt ex iis quæ supra scripta sunt originibus instituta esse possumus sic animaduertere, ꝙ ad hunc diem, nationibus exteris ex his rebus ædificia cõstituũtur: ut in Gallia, Hispania, lusitania, Aqtania, scandulis robusteis, aut stramentis. Apud nationem colchorũ in ponto ꝓpter siluarum abundantiam arboribus perpetuis, planis dextra ac sinistra in terra positis, spacio inter eas relicto, q̃to arborum longitudines patiuntur, collocantur. In extremis partibus earum supra alteræ transuersæ quæ circũcludũt